

Anthologie bilingue de la poésie latine. Philippo Heuzé moderante, Andrea Daviault, Sylvano Durand, Yvone Hersant, Renato Martin et Stephano Wolf translatoribus. NRF, Bibliothèque de la Pléiade, Parisiis, 2020. ISBN 978-2-07-274331-3

Editiones Pleiadis omnibus litterarum gallicarum amatoribus notae sunt, quae optimorum auctorum scripta elegantibus typis subtilissimaque charta publico tradunt. Multis annis abhinc, anthologica carminum germanicorum, anglicorum, italicorum, hispanicorum dederunt, non sine gallica translatione. Expectatissimum ergo in lucem editum est novum poeseos latinae florilegium, etiam cum se nullam latinarum litterarum aetatem praeterire praedicet.

Paucissima de translationibus dicam, quae multis lectoribus auxilio in pulcherrimis carminibus legendis erunt. A doctis magistris optime confectae sunt. Praefatio, chronologia, spissae notae in fine libri positae, densa bibliographia, nihil deest ut lector, qui pauca de litteris latinis scit, versibus tam antiquis quam modernis fruatur. Peritissimi 'latinicolae' rara carmina eruditasque notas invenient, quae proprium studium alent.

Carmina antiqua, ut decet, maiorem operis partem occupant. Livii Andronici fragmenta in principio posita sunt, sequuntur archaeorum fragmenta, scaenae ex Plauti Terentiive comoediis depromptae. Spisso agmine convocantur heroici poetae, lyrici, elegiaci, satyrici, nec desunt epigrammata, carmina epigraphica, Syri sententiae, vel scriptores ex anthologia Latina, quam dicunt. Voluerunt auctores horum anthologicorum fere omnes poetas antiquos publico praebere. Ita poetae, qui « minores » vocantur, ut Pentadius vel Arborius, locum inter notissimos habent.

Tempora christiana sedulo exposita sunt, a Lactantio usque ad aevum Caroli imperatoris. Illius aetatis, quae interdum « infimae latinitatis » vocata est, gemmas revelat liber, quas discipuli gallici numquam aut fere numquam in schola legerunt. Si rari alumni Claudiani carmina noverunt, vel Ausonii, fere nulli Ennodii, Prudentii, Venantii, Sidonii, Iuvenci, Damasive carminibus studuerunt. Schola enim rei publicae gallicae statuit, latinitatem una cum cultu pagano mortuam esse, Musamque latinam dein degenerasse. Solus vir nomine Des Esseintes saeculo undevicesimo exeunte adhuc proclamabat se carmina illorum poetarum cum delectatione legere. Fuit tamen fictus homo, vir nimis delicatus et pecunia corruptus ex fabula satyrica « À rebours » a Joris Huysmans scripta.

Ex mediae aetatis (ut aiunt) carminibus, plerique carmina burana propter Caroli Orff modos noverunt. Rari tamen sciunt subtilissimam poesin inter saecula octavum et decimum quartum in Europa floruisse. Lingua latina tunc lingua doctorum hominum erat, et ubique litterae latinae vigeabant. In Gallia libenter conceditur latinitatem in ecclesia, id est inter scholasticos, in usu fuisse ; vix autem docetur iuxta poesin sacra carmina profana summae pulchritudinis scripta esse. Itaque discipuli arbitrantur poetas illius aetatis gallice tantum scripsisse, et omnino nesciunt praecipuam litterarum linguam in Gallia latinam fuisse. Nomina Villonis, Caroli Aureliensis, Adami de la Halle, Bernardi de Ventadour... ad caelum laudibus efferuntur, et celatur optimos poetas profanos in Gallia tunc Baldricum Burgulianum, Alanum ab Insulis, Marbodum Redonensem, Hildebertum Cenomanensem (ut alios praeteream) fuisse. Nihil dicam de poetis, qui Carolo magno regnante floruerunt. Ex Germania (ut Walafridus Strabo) vel ex Anglia (ut Alcuinus) nonnulli venerunt : a Parnasso poetico gallico eradicati sunt saeculo undevicesimo. Meritum locum hic habent carmina latina medioaevalia, quorum pulchritudo amplo publico revelatur.

Inter florilegii translatores, Stephanus Wolf et Yvo Hersant latinitati aetatis Renascentium Artium studuerunt, neque mirandum est tam apte doctaque exponi auctores illius aetatis, quae litteris latinis maximi momenti fuit. A primis Italiae humanistis usque ad principium saeculi septimi decimi, omnes probi poetae ordine prodeunt. Duo anthologicorum volumina apud editiones « Poésie Gallimard » edita gallicis Musarum amatoribus, superioribus annis, illius aetatis subtilem artem

exposuerunt. Trecentis circiter paginis hoc in volumine delineatur integra Europa latina, nec ullum poematum genus praeteritur, ne emblemata quidem. Praecipua virtus huius florilegii hac in re residet, quod lectori praebet variam completamque Europae latinae imaginem. Poetis, qui in ipsa Gallia nati sunt, amplum spatium tribuitur. Quisnam poetas ex stirpe gallica natos defendet, nisi ipsi concives ? Sic lectoribus Europaeis clariores fient poetae ut Nicolaus Borbonius vel Salmo Macrinus, quibus fuit Musa fecunda.

In scholis Gallicis raro discunt alumni latinas litteras usque ad aetatem nostram floruisse, et pauci infeliciter sunt concives mei, qui sciunt quid sit poesis neolatina. Gaudeo ergo florilegium editum esse, et aetatem modernam omissam non esse. Ac recte post scriptores ineuntis decimi septimi saeculi inveniuntur Baudelaire, Rimbaud, Pascoli, et Pascalis Quignart. Nihil vero amplius de fertilissima Ludovici decimi quarti aetate, qua floruerunt poetae ut Santolius, Rapinus, Huetius, Commiriusve, ut solos Gallos nominem; ne verbum quidem de poetis saeculi duodevicesimi, ut Polignac, Desbillons, Porée, vel Sanadon. Aetas regum Ludovici XIV et XV neolatinis litteris summi ponderis est. Intelligere nequeo, quomodo florilegii compositores illorum poetarum immemores esse potuerint. An negligentia ? An ignorantia ? Affirmo ego, Santolium non minoris virtutis poetam quam Petrum Damianum, Victorium Massiliensem, aut Paschalem Quignard fuisse, qui in anthologicis locum suum quisque acceperunt. Santolium enim haud immerito « Principem poetarum latinorum » vocaverunt qui ei erant contemporanei. Quam ob rem ille poetarum princeps cum coaetaneis in florilegio adscribi non valuit ? Lacunam acriter deploro, sine qua potuisset liber summam laudem meruisse.

Si Rimbaud optima carmina latina aetate quatuordecim annorum scripsit, quae merito in hoc libro leguntur, carmina latina Caroli Baudelaire non sunt, mea sententia, proba exempla Musae latinae saeculi undevicesimi. At propter gloriam, qua est ille clarus, debuit in his paginis apparere. Scio poetas undevicesimi saeculi solis viris peritis notos esse, at exstant bibliographiae de hac re. Potuissent florilegii auctores accuratius quaerere, ut id saeculum, vel brevissime, amplius illustrarent. Iterum doleo studium perfectum non esse. Quid fuisset triginta paginas crasso libro addere, cum sit charta editionum Pleiadis valde tenuis ? Iohannes deinde Pascoli duodecim versibus allatis adest. Qui longis carminibus in toto orbe terrarum claruit, duodecim versibus comprehenditur totus. In ultimis libri paginis tandem praebetur longius carmen scriptoris qui in litteris gallicis claruit, nec adsidue latinas Camoenas coluit. Omittuntur vicesimi saeculi probatissimi poetae latini omnes, quod valde doleo : nonne optimis carminibus latinis claruerunt homines ut Scheil, Tusiani, Eberle, Mitsuno, Rädle, Radke, Immè, Lacoste, Walton, Weller, ut multos taceam ? Nonne iniustum est recentiora saecula ita esse neglecta ?

Dicam, ut recensionem huic finem faciam, emendum hoc florilegium esse, quod optimum Musae latinae praeconium erit. Solum vitium ei est, quod solita erga recentiores hodiernosque scriptores caecitate laborat. Cum vero sit ab editionibus Pleiadis divulgatum, quae in Gallia sunt quasi novus litterarum Parnassus, et elegantiarum iudices, video quantum et publico et litteris latinis volumen prodesse possit. Docebuntur, commovebuntur, delectabuntur lectores, denuoque clarescent poetae latini.

Daniel Blanchard (m. Dec. 2020)

[existimatio haec, at paulo brevior, primum est edita in commentariis, q.t. *Melissa*, anno 2020]